

P V I S

1 6 1 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Es 14



5a
70

DE MAGIS, *6196*
QVI EX PER-
SIA STELLÆ INSO-
LITÆ DVCTV BETHLEHEM
venientes, primi Gentilium, **MES SI-**
AM recens intactâ & illibatâ ex Vir-
gine **MARIA** natum agno-
uerunt :

C A R M E N,
Autoritate & iussu inclutæ facul-
tatis Philosophicæ in celeberrimâ A-
cademiâ Lipsensi concinnatum, ipsoque
Magorum Festo anno **MISERICORDIA** in
Panegyri Procerum solenni memo-
riter recitatum

Ab

HENRICO IVNIO SVLANO Fr.
C A L C I

Subiuncta sunt Poëmata quædam diuersa :

Diuersis temporibus ad amplissimum, litera-
tâ cum virtute tum prudentiâ præstantissimum
virum Dominum **CASPAREM VVER-**
NERVM, &c. Senatorem Li-
pſicæ, &c.

EPIGRAMMA.



Trina Magos nato memorat sacra pagina
Christo

*Dona, sed haec vna iuncta tulisse fide:
Aurum, thus, myrrham; Regiq; Deoq; hominiq;
Hocq; ipsis pacto est Caelica parta salus.
Sed nos quae grati promamus munera Christo,
Qui Dominusq; soli; qui Dominusq; poli?
Non aurum, aut pinguem Stacten, non thura saba:
Eius enim est, quicquid magnus hic Orbis habet.
Grata Redemptori sunt munera; pectora grata;
Inq; ipsum saluos, quae facit vna, fides
Non igitur Christo; thus, myrrham, aurumq; lites;
Grates, & Caelo, quae beat vna, fidem.* Sed

M. H. I. S.

ΕΥΦΗΜΙΑΓΙΔΙΟ.

Dn. HENRICO

IVNIO SVLANO, &c.

CVM IPSI VN ANIMI SENAT-
us Philosophici consensu summus in
Philosophia gradus in inclyta Lipsensium
Academia 6. Calendas Februarias, Anno post
reparatam genti humanae per CHRI-
STVM salutem: 603. decer-
neretur:

Inter alias ab amicis scriptæ; & his,
quia breues sunt, ἀντιφιλικῶς
ἔνεκα præfixæ.

HUni, Pegasus a mentē plenissime lymphā,
Juni, Palladijs exaturate cibis;
Si quotus ordine eras, totidē dem disticha,
Ingenuo veri munere functus ero. (amici
Dum tibi iam titulos Sophie humanissima summos
Contribuit, plaudo letus viraq, manu.
Plaudo, & laudo tuos, Juni ter amice, labores,
Laurea sic viridis, quæ tibi digna venit.

A 2

Septe-

Septenas etenim coluisti strenuas artes:

Hinc ego profectus miror amoq; tuos.

Quis Phœtiade probat enarratq; Magistri,
Illam inuenit altâ mente repostâ tibi.

Nossum Romuleam planè pleneq; loquelam:

Atque hos calles rite rateg; sonos.

Adde quod auratis subuectum fama quadrigis

Tævolii are facit doctâ per ora virum

Cary Heurice, tuos igitur mûra cœrula crines

Exornare neget, condecorare neget?

Itaque hæc trahunt, varij & Symptomate morbi

Obocinista medicas applicuisse manus.

Cum pl. sal. misit

M. Georgius Theodoricus

Wurcensis P. L. & S. S.

Theolog. Stud.

A L I V D.

Ante super Oceanum primo consurgit Eo

Leucothoe, & latum provehit axe tubar;

Quo ribi Apollinei, concordia puncta, Senatus

Septuplicis Sophia fronde a ferta ferunt:

Fronda a ferta ferunt, studiorum signa tuorum,

O Junis Clarij stella corusca chori!

Scandere

Scandere namq; tibi bifidi iuga frondea montis,
Et placuit Clario labra rigare mero.
Hinc quoq; tot linguas, tot calles mentibus artes:
Tinctaq; Cecropio carmina melle fluunt.
Lingula docta fluit, Latia, Graiaq; loquela,
Quas modo suauiloquo promissis ab ore, fluunt.
Ipse Stagiritis bene te dignoscere falsa,
Teq; decet quos eoque tibi vera dare.
Hinc non immeritò religantur tempora lauro,
Et premit articulos aurea gemma tuos.
Victor oua: torua pellens phantasmata frontis:
Debita nam victor premia miles habes.
Premia quae plausu tibi gratulor vberè, & illa
Prospera quaeq; precor: sint rata vota precor.
Pergitio, sic carum poteris releuare parentem,
Sic poterisq; datum congeminare decus.

Amoris & amicitiae ergo scribebat A-
damus Herre Wurcentis P. Baco.



Ad
ALBUM AMICORVM

*Humanissimi & Doctissimi viri-Iuue-
nis, Dni.*

M. HENRICI IVNII
SVLANI FRANCI, &c.

C A R M E N,

M. GEORGII THEODORICI
Wurcensis P. L. in eiusdem memo-
riam huc appositum.

Est haec charta domus, preciosis pulchra tapetis,
Palladiâ claris arte habitanda viris.

Nam domus vt nauci censetur inhospita, cui non
Incola laudata conditionis inest:

Sic habitatores famâ super æthera notos

Quæ iactare potest, non ea laudis eget.

Nomine quo magni domus hæc, tua chartula, fiet,

Quod probet autographo dextera quæq; suo,

Sed quibus insideant scannis, mensisq; fruantur?

Hic suppletura est pagina pulchra vicem.

Huc

Hæc cum visceribus cunctis, titulisq; recumbant,
Ingenij nisu quos meruere sui:
Doctorum & stupeant ora effigiat a virorum,
Prædico quos nostræ picta rapeta domus.
Sic domus instruitur tua. vñ, habitemus vt illam,
Quot quot in amplexus Diua Minerva rapit.
Nec sine successu. Quis enim tibi denegat illud
Officiu iuueni, quem manet amplius honos?
Iam nihil ascribam, quem conciliatet honorem
Bartolus, aut lumen, Pergamus alta, tuum.
Que fors æqua tulit dudum, modulabor ab ouo
Ad malum vsq; vñ nam venula larga fluat!
Infantem nitidi roseas in luminis auræ
Te nisu genitrix edidit anxifero:
Quæ tua Sula iacet, bombardis Sula parandis
Clara, metalliferis Sula opulentæ iugis.
Hic te castalias alacer deducit ad vndas
Wendelius, melice magnus honore lyra:
Vt citius numerem, quos non euoluere vates
Tentarit, quam quos voluerit assidue.
Zehnerus sed enim iubar Hemmenbergidos ora
Aureolum, cuius motus amore sui,
Consulit, vt patrijs excedas postibus, atq;
Gymnasij Franci tecta propinqua petas:
Quod Ducis Ernesti iam munificencia pridem
Condiderat Schleuse pone fluenis aquas.

A 4

Hic

Hic Helicon tibi Iacobus Schmuccius ornem
Pandit, Apolline à Schmuccius arte grauis.
Et maiora tibi dux ostendisset, at illud
Ferreæ, disrupto stamine, Parca vetat.
Plurima tum stebas, sed spe tua damna leuabas
Affore, dux ad idem qui foret aptus iter.
Nec spes illa quidem radicibus alta sefellit,
Sed rector studijs deinde Seberus adest:
Qui docuit linguas solidos deducere ad vsus,
Nec minus ad Pindi culmina celsa viam.
His ita primitijs sultus Philyræa salutas
Lumina, Neldelium Fridrichiumq; , duo.
Huc ubi peruentum, & tua calliopæa resedit:
Præ reliquis Sophie bella puella placet.
Illius ante fores testudine ludis amœnâ,
Vt posuisti aditu liberiore frui.
Hinc Logicis humeros armis indutus vtrosq;
Sæua Sophistarum vortere tela potes.
Hinc satis obliquis palantia sidera gyris
Metiri radio notificante potes.
Hinc potes, in medio quæ pendeat ære nubes,
Dicere, cur ventus turbine verrat humum?
Cur igitur rutilum digitos non ambiat aurum?
Cur non insideat cœrula mitra comis?
Cur non Lipsiaci pars verè fida Senatus,
Wernerus Musam subleuet ære tuam?

Viro

Viro antiqua virtute, eru-
dita doctrinâ, solerti pruden-
tiâ, multoq; rerum vsu, pol-
lentissimo, Dn.

CASPARI VVERNE-
RO, SCHLEVSINGENSI HEN-
nebergico, Ciuï optimo, Mercato-
ri integerrimo, & Senatori Reipublic. Lip-
sienfis dignissimo, Patrono & Mæce-
nati suo liberalissimo ac beni-
gnissimo;

Salutem in *Græciâ* perennem & firmissi-
mam iuxta ac prosperrimam valetudinem pre-
cans, *τοῖν μακρίων* hoc, Magorum histori-
am subiiciens;

IN

Gratianimi Symbolum: perpe-
tuae obseruantiae pignus: & felicissi-
mum noui anni auspiciam, animo
beneuolè consecrat, dicat, exhibet

M. Henricus Iunius Sula-
nus Fr.

A 5

Iam

Iam vetus impletis decurrit mensibus annus,
 Signa quoque consecit Sol duodena poli;
 Iamque suo rursus pandit se cardine Ianus,
 Ingrediturque nouum iam nouus annus iter.
 Vt pius est igitur veterum mos lege receptus,
 Anno pro fausto mittere vota nouo:
 Sic, Wernere, noui tibi tempora quatuor anni
 Sint precor omnigenis tota referi a bonis.
 Det Deus in sano bene sanam corpore mentem,
 Et tua presidio dirigat acta suo.
 Hoc quoque Teutonicis passim seruetur in oris,
 Adiciant votis ut quoque dona suis.
 Ast tibi quam, Fautor, strenam? que dona parabo?
 Quam vellem! ast pauper paupere sorte fruor.
 Nec mihi sunt aris, nec pondera diuicis auri;
 Magnifica, nec quas, continet orbis, opes.
 Carmina sunt tantum: Musarum munera: nobis;
 Paupere pro Xenio Carmina ferre libet.
 Carmina ferre libet, que panxi, festa Magorum
 Hic de more suo cum celebranda forent.
 Hec cecini augusta doctum presente corona,
 Lipsiacum expediens iussa verenda Sophum;
 Quando iubebantur doctrine examen adire,
 Maxima qui Sophia premia habere velint.
 Hec mea, Mærenas, sunt que tibi munera mitto,
 Hec Xenia, hanc strenam; consule, quaeso, boni.
Laurea



Laurea nunc igitur Sophia mihi serua petenti,
O Wernere, faue, cœptaq; nostra iuuu.
Sic ego barbarie deuicta, victor in arte
Septisida, Aonidum clara Brabea petam.
Clara Brabea petam, tribuent mihi qualia Musa:
Tuq; mei consors forsā honoris eris.
Nec mihi, quod gratus referam, deest; optime Fautor;
Prote, proq; tuâ vota salute dabo.

Amplitudinis & prudentiæ tuæ
Deditis cliens

M. Henricus Iunius Sula-
mus Fr.



HISTO-



HISTORIA MAGO-
RVM, QVANTA POTVIT FIE-
ri breuitate, Heroicis depropera-
ta versibus.

Quos ego specto viros? cuiusnam hortatibus vsi
Huc confluxerunt Proceres? Procerumq; corolla:
Magnificus Dux magni huius Rectorq; Lycei?
Tum pietate graues Mystas, quis mystica Diuum
Erudisse rudes cura est? Sophiæq; Magistri,
Gaudentes variâ variatum indagine rerum?
Nec non cultores studij Septemplex; & qui
Hospes in hospitium hoc alijs concessit ab oris?
Rimari causas animus propendet, auctq;
Scire, quod his subsit tantis conuentibus omen.
Fallor? an hæc Festi lux festa resulsit, honores
Qua permittebat quondam veneranda vetustas
Ritè Nouenarum Mystas ambire sororum,
Atq; noui titulum ex merito affectare Magistri?
An quia iam redeunt natalis tempora Christi?
Quis indicta, inuisa, insuetas, stupendaq; cunctis
Virginei ex Jovâ sætus sætura refertur;
Quæq; præiucrant, & quæ mox inde secuta:
Stella velut, latè mireq; per astra coruscans,

Irradi-



Irradiansq; nouis radijs radiantibus orbem :
Quaeq; hinc manarum humanis commoda rebus.
Eia age, doctiloquum quicumq; hoc conspicis agmen,
Quaeso faue nostris cepris, faueamus ut ipsi
Ausibus ore tuis, & fausta precemur in annum.
Eia faue, & santhem sicientibus auribus audi.
Nil moror ambages, confestim exordior ortum
Quondam luce Magis rutila sub Perside sidus.
Qualiter hoc suscis Christum patefecerat Indis,
Artibus excultis inculto carmine pandam.
Tu modo, Christe, meum pectus linguamq; gubernas,
Ut referam tibi grata, nec huic ingrata corona.

Est locus Eoos Phœbi surgentis ad ortus,
Susa cui nomen ; toto celebrata per orbem
Dogmate multijugo, nec non virtute Magorum.
Huic insuetâ olim diluxit lampade stella :
Stella salutiferi natalis nuncia Christi.
Pone quid eueniat : Simul at micat æthere celso
Flamma nouo nitidum collustrans lumine olympum:
Ecce Magis primùm sese vigilantibus offert.
Illi, vbi sideribus, quæ sæpius anti notârunt
Noctiuagi noctu, tacito currentibus axe,
Insolitam & mirâ splendentem lampade stellam
Accessisse vident : mirantes lumina signant
Astro : quid populis promittat, quidue minetur ;
Ambi-

Ambiguum. quid? diuino mox concitus aestro
Ex illis aliquis, Proceres: hac forsitan, inſit,
Sunt præmiſſa recens ſurgentis ſigna Monarchæ,
Qui quantum hæc alias ſuperauit lumine ſtellas,
Tantum ſit reliquos victurus ſtemmate Reges.
Ergo abeamus, ait: longum quid quaſo moramur?
Rumpite, rumpo, moras: ſeruemur lampadis orſum,
Eius & effectum, quacumq; ſit Orbis in vrbe,
Experiamur, erit nil magno maſus in orbe.
Annuit hic, monitus monito conſentit & alter:
Vnanimes ſtatunt ſignum memorabile Regis,
Cui ſimilem teneant non ampli climata mundi.
Non mora: conuaſant vaſis, quæ poſtulat vſus:
Munera muneribus iungunt, quæ quiſq; Monarcha
Exhibeat, cum Thure Aurum; Staclesq; liquorem.
Reſtat iter: faciunt ſubeuntq; ſolumq; ſalumq;,
Quo Regem, quiſquis foret, & quocumq; ſub axe
Inuentum læcis votis & munere dotent.
Sic aliquot lucēs ſalui, nigrasq; tenebras,
Telluris tractus, vt erant a lampade tracti,
Luſtrarant, & iam Syriae feliciſ ad oras
Appulerant, nec dum centi, quem ſigna Monarcham
Signarent; vbi ſit, vel qualia Regna teneret.
Ergo vbi iam placida mandarant membra quieti
Feſſa via varia varijs ambagibus; vni
Ieſiades viſus Rex eſt aſtare Dauides,

Atq;

Atq; ipsis gratans per somnum talia fari :
O vos felices nimium , nimiumq; beatos ,
Qui procul Hyrcanis huc commigrastis ab oris
Visere ab insolitâ monstratum lampade Regem ,
Ipse nepos meus est, nostro de sanguine cretus.
Hic est, hoc semen promissum est Patribus olim :
Hic ille est Silob promissus Vatribus: hic est
Ille Heros, Adæ tollat qui crimina lapsus.
Hic est ille Gigas, qui vincat morte leones
Tartareos, atq; æternum detrudat ad orcum.
Hic est, quem toties optârunt cernere Patres.
Pergite felices, exquirite, visite Regem:
Cernetis ; nec spes vestras hæc sidera fallent.
Sic ait , & dictis non addens plura recedit.
Ille autem caput è plumis vix manè leuâr at,
Protinus hæc eadem socijs cuncta ordine narrat.
Hic cupidi Regis pendent narrantis ab ore ;
Concipiuntq; nonos visendi insignia motus.
Nec requies ; subito Solymæas tendere ad arces
Instituunt ; (veterum fuit hic domus incluta Regum)
Illic sperabant visuros se esse Monarcham,
Quem modo monstrârat radijs radiantibus astrum.
Propterea læti Solymæas incenia gentis
Aduentant ; vbi vix retigerunt limina portæ :
Exaciunt , turbantq; nouis rumoribus urbem ;
Quærendo , quosquos contingit querere, vulgus :

Rex

Rex novus Ephramidum lautas quas incolit arces?
 Quod regnum spondet, vel qui sunt illius ausus?
 Eius enim insolita decus admirabile stella
 Vidimus Eois, vnde huc devenimus, oris
 Leti, supplicibus donis precibusq; recentem
 Regem vt adorantes aequum testemur amorem.
 Quare nos huius perducite ad atria Regis:
 Indicat hoc astrum mirandi Principis orsum.
 Rumor Idumaei Regis cum verberat aures.
 Obstupuit demens, totoq; expalluit ore:
 Nec mora; permetuens, ne fato hic debitus Heros,
 Imperij subitis sibi Sceptra extorqueat armis:
 Indigenas vates iubet intra territa cogi
 Moenia: quarunt properè tempusq; locumq;
 Nascentis Regis, stirpemq; patremq; notant.
 Continud Bethlen Vatum monimenta minari
 Quisq; refert: Dux vnde ortus consurgeret olim,
 Illustris fama & factis super aethera notus.
 Talia percipiens Herodes, aure, Tyrannus,
 Clam vocat ad solium fuscato ora Sabaeos,
 Quoq; nouum terris exortum tempore sidus
 Spectassent primum, studiosè indagine querit,
 Auditosq; Magos monitis amittit onustos:
 Ite cito Bethlen, Regemq; ibi querite: sed quis
 Inuentum ex vobis subito mihi nunciet, opto.
 Nam quoq; me pietas inuitat, supplice natum

Munere

Munere & inflexo venerari poplite Regem.
Dixerat hac vulpes, simulans noua gaudia vultu,
Verum longè aliud malè amico pectore condens.
Deniq; dimissi, Salomonis eburnea mittunt
Atria; maturant Bethles contingere muros:
Ecce iterum surgens; prius hos quod duxerat, astru,
Signat iter, rectè à Bethales quod vergit ad urbem;
Nec prius abstinit, donec, gens decolor, Indi
Nascentis subeant sat alia culmina Regis.
Illic fixa super lampas flammante Capillo
Constitit, & Persis bene conscia signa notabat.
Hac visâ, à primo Proceres Oriente profecti
Exultant animis lati; domuiq; propinquant,
Pendentem tenerum genitricis ab vberè Regem
Offendunt; Dominumq; licet sine honore iaceret,
Agnosunt mitem; Regemq; Deumq; salutant.
Quin sternuntur humi, & strati reuerenter adorant:
Thesaurisq; suis reseratis munera promunt
Munifici tenero Regi, Regisq; parenti:
Aurum, thus, myrrham, pro trino nomine Regis.
Iamq; salutatis Genitrice & Prole, parabant
Rursus Idumæi deflectere Regis ad aulam:
Sed Deus humanos moderans hortatibus ausus,
Dissuadet noctu crudelis seuæ Tyranni
Atria, squalentesq; reuisere cadibus arces:
Sed potius patriam repellant, dulcesq; penates,

B

Admo-

Admonet : admoniti monitis caelestibus illis
 Extemplo parent, aliq̄, sub aetheris arcu
 Ad patrios fines, Nabathaeaq̄, regna recedunt.
 O vos felices Persas, qui dona Tonantis
 Offertis Nato, dignumq̄, refertis honorem.
 O vos felices, iterumq̄, iterumq̄, beatos,
 Paupere qui natum coluistis tegmine Christum,
 Hunc quondam salui cernetis in Aetheris aula.
 O miseros contra, cassos ò pectore & aure
 Iudeos, propriam temnunt qui sponte salutem,
 Nec Christum Regis dignum dignantur honore ;
 Hos iterum caeli quondam priuabit honore.
 At nos, Christe, Dei soboles aeterna parentis,
 Humani fragiles qui corporis induis artus
 Flamme conceptos intactae virginis aluo ;
 Vt nos, quos veteris damnarant crimina culpa,
 Cum Patre concilies caelesti : Mittimus, inquam,
 Non equidem Myrrham, non Thura, Auriḡ, talenta,
 Sed linguam meritis promentem pectore grates.
 Laudes nos ferimus graui, aeternumq̄, feremus.
 Salue Christe Deus, salue dulcissime Iesu :
 Auspiciū felix, felicius ire recentis
 Anni fac iubeas medium ; sinemq̄, beabis.
 Assere, quæso, sacri nobis oracula verbi :
 Pelle procul morbosq̄, graues, pestemq̄, famemq̄.
 Tunde minis Gericum nostris a sinibus hostem :

Da

Da pacem nostris atq; octa commoda Musis.
Sic tibi perpetuas tribuemus carmine laudes.
Restat iam cunctis felicem complectar annum,
Persolvens grato, quas debeo, pectore grates,
Omnibus, hunc nostrum qui conuicistis ad actum.
Sed quas? sed quanto te digner honore, secunde
Christiane, Elector, princeps celeberrime Gentis
Teutonice; columen Romani nobile Regni?
Saxonicae gemino vigeas cum germine rutae,
Augustis studijs, iam tum super aethera noto.
Inclita sit felix Genitrix, Hedvigis & vxor
Regia; quò salua viuant cum Principe saluo.
Quas tibi porro canam grates, Amplissime Rector?
Tum vobis pietate viris insignibus, & qui
Claretis Claria Clariarum laude Sororum?
Deniq; presentes hic quotquot adestis amici,
Iustas nunc etiam vobis persolvere grates.
Vix opis est nostrae: tamen hoc prestare studebit
Quilibet ex nobis; dum spiritus hos reget artus.
Caetera, qui largè pensat benefacta, rependet.

Laus tibi sit Regi, qui regis astra poli.

—S ()—

B

2

POEMA

P O E M A T I A

diuerſa,

Diuerſis temporibus ad vir-
tute eximiâ, & prudentiâ litera-
tâ præſtantiffimum virum,
Dominum

C A S P A R E M V V E R -
N E R U M S C H L E V S I N G E N S E M
&c. ab Autore partim amicitia conciliandâ, & iam conciliatâ deinceps quoque conſeruandâ gratiâ: partim beneuolæ & candidæ affectionis & debitæ gratitudinis ergo effuſa & huc typis nunc exſcripta.

Vix a lio Diuûm redolemus nomine mentem,
Nec propius iuncti poſſumus eſſe Deo;
Quàm ſi quis (licet immerito) ſuccurrat egenti,
Illius & ſortem quâ queat arte leuet.
Quandoquidem cunctis vitæ communis origo eſt,
Et, tellus, omnes continet vna domus.
Inprimis magno res principe digna putatur,
Si iuuat Aonios ore vel ære choros.

Largus

Largus & ingenis horum propendet alumnis,
 Conatusq; horum promouet vsq; pios.
 Ingenijs igitur quoniam, ingeniosus & ipse,
 Ingenuis prodes, castalijsg; choris :
 Quis, Wernere, neget celsis te doribus auctum ?
 Quis, Wernere, neget teq; placere Deo ?
 Hactenus ergo velut studiij septemplex artes
 Iuisti multis, nomine req; modis,
 Fauistiq; harum cultoribus aequus amator :
 Sic eris auxilio, presidioq; mihi.
 Meq; tuo, (quamuis nullo sim fœdere iunctus,)
 Permittes aliquâ parte fauore frui.
 Sed facies, faciesq; magis, quod vtriusq; colendum
 Hoc vnum patria fors dedit vna solum.
 Nam procul haud aberit mihi cum concesserit inter
 Discantem pubem Lipsia vestra locum.
 Verùm ne, quando vis irruit aspera sati,
 (Quod Deus auert at) qui ferat, absit, opem ;
 Te sibi maturè conquirat nostra Patronum
 Musa, (sciens dubias sortis vring; vices.)
 O Wernere, tuo iam me amplexare fauore ;
 Inq; tuas laudes officiosus ero.

T. P.

Studiofiss.

Heinricus Junius Sulanus. 3 Ca-
 lend. Sepremb. Anno 1600.

A 3

AKPO.

AKPOΣTIXON

AD EVNDEM.

Concipe laxato letos in pectore motus ;
Gaudia leta tibi carpere, carpe, licet.
Annus exactus reuoluti circulus anni est.
Nomine lux instat nobilitata tuo.

Scilicet illa Magi, gratam testantia mentem
Munera quæ Christo terna tulere Deo.

Plebis at inconsulta refert sententia, dono
Nomina pro trino trina fuisse virum

Alteriusq; vocat Caspari nomine nomen,
Ceu scribam Syrio nuncupat ore Syrus.

Rursus & alterius dictum cognomine nomen
Balthafarem : illustrem Regis honore virum.

Vltimus ex illis vocatus Melchior : armis
Et bello clarum, Marricolamq; notat.

Sed tamen his aliquod non falsum subiacet omen,
Caspari siquidem tu quoq; nomen habes.

Verùm literulas, non talis nomina scribe,
Teutonicas modo qui pingere callet, habes :

Vobis sed, Muse, qui quondam addictus alumnus,
Sedulus Aonijs labra rigauit aquis :

Excoluitq; bonas, quæ prosunt omnibus, artes,
Et quæ sum summi plurima causa boni.

Rediis

Rectius hinc cernis, vita quæ postulat vsus,
Sortis & instituis rectius acta tua.
Nam qui (ceu dicitur vulgata Paræmia) nescit
Musas, vel medio nil videt ille die.
Et quo multi a breui complectar carmine: nosti
Quæ veniant homini, quæq; serenda Deo.
Restat nil igitur, nisi quò felicibus optem
Auspicijs referant hunc tibi fata diem:
Viq; senis superes longæuos Nestoris annos,
Nec vitam victu deficiente trabas.
Sic sine nube fluant huius tibi tempora vitæ:
Gaudia post cupies plena salute poli.

Henricus Junius Sulanus Franc. Fe-
sto Magorum, Anno post partum
Virginis Dei paræ Mundo saluti-
ferum M. D C I. Lipsiæ fundebat.



B 4 EYΦH

EYΦΗΜΙΑ

Cum doctissimus ac prudentis-
simus vir, Dominus

CASPARVS VVER-
NERVS LIPSIÆ HONESTIS ET
spontaneis omnium suffragijs in ordi-
nem Senatorum publicè ac solenniter as-
scisceretur XI. Calend. Maij. Anno
post instauratam à CHRISTO
salutem. 1602.

Nescio qui nuper philyræâ tumor in vrbe
Migraret sparsus vana per ora virum ;
Lipsiaci instaret quasi magna ruina Senatus,
Et quasi post Lypsis nil habitura boni !
Hem quàm diuerso iam qualibet ordine ponat ,
Disponit mirè, qui Deus omne bonum !
En quàm sit philyres nunc optima forma Senatus ,
Integris alijs condecorata viris !
Quos pietas, virtus, doctrina, scientia, candor,
Acceptos populis efficit atq; Deo.
Fallor? an hunc inter numerum, Wernere, relatus;
Mire Senatoris tu quoq; nomen habes.

Nomen

Nomen habes meritò hoc: quamuis sis corpore non-
dum,

Es tamen expert à plurima mente Senex.
Namq; Senes verè non sunt, qui tempora circum
Albescunt: pueri Sensa sed instar habent.
Ille senex; doctas callet qui Palladis artes:
Tum facienda facit, tum fugienda fugit,
Hoc igitur gratum multo de nomine nomen
Sit tibi: nam dignis dignus habetur honos.
Adde quod hic titulus verus sit testis honestè
Transactæ vitæ: quem sibi quisq; petat.
Et Deus angustum tibi quod dedit ipse Talentum,
Non vult vt sterili contumuletur humo.
Hos sed communes conferri mandat in vsus,
Auctum quo redeat scœnore multiplici.
Eia age Iustitiam, sic precipiente Jehoua,
Quo potes auxilio consiliouè iuuas.
Sic olim exuuias mortalis corporis huius
Exutus, factis præmia digna feres.
Præmia digna feres, donabit qualia cunctis,
Iustitiam reliquos, qui docuère, Deus.
Scilicet ante alios radiens radiantis vt instar
Sideris excelsâ semper in arce poli.
Ast quid nunc cesso? quin vestro grater honori,
Et, quæ sint vobis prospera, cuncta precer?

Cor det cordatum Deus: artus post ea sanos,
Deniq³ Tithoni, Nestoris atq³ dies.

T. P.
addictif.

Henricus Junius Sulanus.
honoris ergo f.

ΠΡΟΣ ΦΩΝΗΣΙΣ

Ad

Eundem instituta, cum ipsi Carmen
Græcum *περὶ τῆς τῶν ἑρμῶν ἐπιχορδῶν λύρας*
dedicaret, Lipsiæ, anno MDCI Cor Diæ,
13. KL. April.

Svmme nouenarum cultor Fautorq³ Sororum,
Wernere, *ὄ ἀνιμι portus & aura mei;*
Si vacat, à grauibus deducto pectore rebus,
Accipe Mercurij, quam tibi mitto Lyram.
Accipe & acceptam vultu dignare sereno.
Hæc modo nam chordû splendet adaucta nouem.
Illa tibi memorem memorabit carmine mentem,
Quam gero pro meritis tempus in omne tuis.
Namq³ mihi Philyres celebris si fautor in vrbe est,
Quem clarat virtus prisca, & aperta fides:

His,

His, si Mæneas, quorum virtutibus obstat
 Res angusta domi, sorsq; onerosa bonis:
 Si quis Iustitiæ cultor, studiosus & æqui:
 Ne viuam, si non tu mihi solus eris.
 Tu facis vt clarijs persundam pectora lymphis,
 Castalidumq; vigilæ dædala castra sequar
 Tu facis, vt niteant viridi meæ tempora lauru,
 Et multo nomen gliscat honore meum.
 Tu facis, vt porro sinuosa volumina legum
 Scruter, dum cæpris sufficis æra meis.
 Quas igitur, qualiq; tibi iam pectore grates
 Pro tam magnifico munere gratus agam?
 Sponte meâ fateor; tibi gratia digna rependi
 Haud poterit: totum me tibi sume, sequar.
 At tamen hæc memori repetam tua munera mente,
 Et me a me tellus audiet esse tuum.
 Pro te sustollam supplex ad sidera palmas,
 Proq; tuâ superis vota salute dabo,
 Vt tibi sint faciles & opis nullius egentem
 Te faciant: cordis sint rata vota tui.
 Ergo vale, longum viuens nobisq; tuisq;
 Wernere, ô animi portus & aura mei.

P. V.
addictis.

M. Henricus Junius.

EYΦHMIA

EYΦHMIA

In Natalem

CASPAR VLI VVER-
NERI, Dn. CASPARI, &c. VIRI
literatâ cum virtute, tum prudentiâ
præstantissimi, Ciuis, Mercatoris & Senato-
ris Reipubl. Lipsensis integerrimi, Mæcena-
tis ac Promotoris mei vnice & perpetuo co-
lendi, Filioli recens in lucem editi, Li-
psia, XVII. Augusti, Anno Chri-
sti reDeMtoris.

Fama recens nostras, Wernere, volauit ad aures
Fama creans socio gaudia multa toro:
Quod sit Lucina gratos experta labores,
Multiplicans patriam iam tua Nupta domum:
Stemmatibus atq; iterum ruituri enixa columnas;
Mascula quod proles nominis vna tenet.
Scilicet haud semper flammantia fulmina torquet,
Murmure nec vasto territat vsq; Deus.
Verum vbi detonuit, strepituq; exterritur Orbem,
Purum discussis aëra reddit aquis.
Sepe vltimum cernas secundâ vite refertam,
Quæ modo stridentis fulmine tacta fuit.

Haud

Haud aliter vobis iterum placabile Numen
Luctibus in medijs gaudia leta struit;
Rupturam solidans, fecit quam morte parentis
Confecti senio, prole, nepote Senis.
Mitte graues igitur, Wernere, atq; exue curas,
Tristior hoc si quas tempore forte geris.
Signaq; letitia, plaususq; agnosce tuorum,
Gratantes hilari, qui tibi corde fauent.
Indultum satis est lamentis hactenus agris,
Letitia hac stabili sit precor ansa noua.
Nos quoq; Mæcenas, sentimus gaudia, vobis
Progenitæ Sobolis nomine magna noua.
Hinc, que vera mouent Superos, iam vota uouemus:
Vt tibi sint faciles, filiolog; tuo.
Cresce fauore Dei primum, Casparule, cresce
Post etate, exin doribus ingenij.
Cresce, tuiq; Patris vestigia poplite fixo
Sectare, & mores ingeniumq; refer.
Hoc precor, ætherium Numen tibi compleat omne;
Et te perpetuâ prosperitate beet.
Hæc precor vt faustis successibus omnia fiant:
Et, patrem & natum, seruet utrumq; Deus.

T. P.

Deuinctis.

M. Henricus Junius Sulanus

ἔποίησε αὐτοχρηδίας.

Ad

In obitum

CASPAR VLI,

Dn. CASPARI VVER-
NERI, VIRI AMPLISSIMI ET
prudentissimi filioli, pridie Nonas Fe-
bruarias, anno reDeMtsonis ChrIstia-
næ, morte præmaturâ Lipsiæ
denati.

Quam sit vana hominum spes, quam sit viri ca-
suarule, exemplo hoc inuis ipse tuo (duca-
Natus) vix te mater erat connixa puellum;
Iamq; iaces gelidâ contumulatus humo.
Magna tuum patrem de te concepta fouebat
Spes, rara labentis te fore sulcra domus.
Heu dolor! hæc sterilis fuit expectatio, patris;
Heu dolor! hæc matri spes data vana fuit.
Sed bene, si reputemus, habes, Caspare tenelle,
Quos amat, hos pueros auocat inde, Deus.
Tu nunc aligeros inter stellantis Olympi
Cætus, ex omni parte beatus agis.
Fortè modis alijs Patrium modo Stemma labascens,
Werneriumq; genus sulciet ipse Deus.
Qui quando ad summos est euecturus honores,
Iamq; occasurum multiplicare cupit:

Inter-

*Interitum simulans, prosternit pectora primum,
Spemq; iacit seræ posteritatis humi.
Hunc morem Jouxæ discamus; cum dare non vult,
Quod petimus, ne, quod proderit omne, dabit.*

M. Henricus Iunius Sulanus.

A K P O E T I X O N

Pro literatâ cum virtute, tum pruden-
tiâ viro politicissimo,

CASPARE VVERNER O
&c. MERCATORE, CIVE ET SENA-
tore inclytæ Lipsiensis Reip. conspi-
cua &c. Domino, Mæcenare ac pro-
motore suo meritissimo,

cui

Felicem ac sanum anni nunc currentis cursum,
decursum recursumq; & omnem prosperitatem
ex animo precatur.

*C*urrendo currens cursum sol finijt anni,

A tq; iter instituit iam renouare nouum.

*S*umens iccirco calamum, quæ, Musa, precaris

*P*ectore, fac scriptis sint ea nota noti.

*A*lme Deus, grates omni pro munere, grato,

*R*e quia non valeo, corde referre parem;

*V*t, velut elapso ditasti largiter anno,

*S*ic peto propitius nos quoq; porrò bees.

Vnum

Vnum præ reliquis tamē hoc, Pater optime, rebus
E xpeto, Fautorem hunc vt superesse sinas;
Re, mea, consilijsq; bonis, qui cœpta leuauit,
N on vllis parcens sumtibus atq; operæ;
Exoro te, Wernerus fac corpore sanus,
R ebus & incolumis sit, mane atq; diu.
Viue diu, Wernere, diu sis corpore saluus,
S aluus & vt maneas, pectore & ore precor.

Vestrae amplitudini

Deiunctis.

M. Henricus Junius Legitimæ
scientiæ cultor: Felto Epi-
phaniorum Anno

O SpLenDore tVo nos, pater aLMc,
rege.

F I N I S.





Cb 1856. 8

ULB Halle

3

002 386 801




~~1211~~

V077

m. f.





DE MAGIS, ⁶¹²⁶

QVI EX PER-
SIA STELLÆ INSO-
LITÆ DVCTV BETHLEHEM
venientes, primi Gentilium, M E S S I -
A M recens intactâ & illibatâ ex Vir-
gine M A R I A natum agno-
uerunt:

C A R M E N,
Autoritate & iussu inclutæ facul-
tatis Philosophicæ in celeberrimâ A-
cademiâ Lipsensi concinnatum, ipsoque
Magorum Festo anno M I S E R I C O R D I A : in
Panegyri Procerum solenni memo-
riter recitatum

Ab
HENRICO IVNIO SVLANO Fr.
C A L C I
Subiuncta sunt Pœmata quaedam diuersa:
Diuersis temporibus ad amplissimum, litera-
tâ cum virtute tum prudentiâ præstantissimum
virum Dominum C A S P A R E M V V E R -
N E R V M, &c. Senatorem Li-
pſicum, &c.

5a
70